

**De cerebri eiusque membranarum inflammatione et suppuratione occulta :
consensu Facultatis Medicae Gottingensis pro gradu doctoris medicinae et
chirurgiae quaedam disserit / auctor Ioannes Henricus Fischer.**

Contributors

Fischer, Johann Heinrich von, 1759-1814.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Goettingae : Litteris Ioann. Christ. Dieterich, [1781]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/vt7g6f6h>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>



29.
DE

CEREBRI EIVSQVE MEM-
BRANARVM INFLAMMATIONE
ET SVPPVRATIONE OCCVLTA.

PRO
CONSENSV

FACVLTATIS MEDICAE GOTTINGENSIS

PRO
GRADV DOCTORIS

MEDICINAE ET CHIRVRGIAE

QVAEDAM DISSERIT

AVCTOR

IOANNES HENRICVS FISCHER

SAXO - COBVRGENSIS

D. XXVIII. DECEMBR. MDCCLXXXI.

GOETTINGAE,

Litteris IOANN. CHRIST. DIETERICH.
ACAD. TYPOGR.

DE

CEREBRI FIVSQUE MEM-
BRANARVM INFLAMMATIONE
ET SUPPURATIONE OCCVLTATA.

CONSENSV

FACULTATIS MEDICAE GOTTINGENSIS

His, vbi cito manus adinoveatur, salutis spes subest;

vbi serius, plerique omnes moriuntur.

GRADV DOCTORIS

Archigenes.

MEDICINAE ET CHIRURGIAE

QVAEDAM DISSERTIT

AUCTOR

IOHANNES HENRICVS FISCHER

SAXO - COBURGENSIS

D. XXVIII. DECEMBER. MDCCCLXXXI.

GOTTINGAE

Litteris IOHANN. CHRIST. DIETTERICH.

ACAD. TYPOG.

PROOEMIUM.

Quum in doctrina de capitis vulneribus multa adhuc incerta, obscura et manca sint, idque morborum genus, quamquam haud rarum, multis adhuc laboret difficultatibus, tum diagnoseos, tum medelae; non prorsus inutile putavi, si pro ingenii viribus omnem collocarem operam in illustranda, amplificanda, exornandaque hac artis nostrae parte; neque paucis meum arrisit consilium. His excitatus manum ipsam operae admoui, ad quam autem perficiendam tempus et studium non mediocre requiritur. Omnia ex

animi sententia cedebant, usque dum res quaedam
 minimae ac iniucundae quietem turbarent. Necessi-
 tate coactus, scriptum quoddam paucis diebus exa-
 randi, partem interim quandam elegi, typisque ex-
 primendam curavi; quam vero vna cum libello, *de*
capitis vulneribus, breui ab hinc tempore, correctius
 ac emendatius edendi, animus est.

§. I.

Morbi notio.

De morbi specie, quae omnibus fere hominibus, quos invadit, necem affert, quaeque recentiori in primis aetate innotuit, acturus, ante omnia, quae sub nomine inflammationis occultae hoc loco intelligam, exponenda mihi videntur. Inflammationem vero et suppurationem cerebri eiusque membranarum *occultam* appello, vbi ictus, aut alia vis externa, homini admota, non adeo magna fuit, ut vlla cranii laesio, vel vllum interdum externarum partium vulnus appareret, resque ipsa parvi aestimaretur; vbi aegrotus nullum in loco affecto dolorem sentit, longum per tempus valere, ad summum parum somnolentus, soporosus esse videtur, interim fero, intervallo tamen 7-17 dierum, moritur. Faluntur igitur ii Iurisconsultorum, qui argumentis, a certo dierum numero defumtis, homicidam capitis non damnant, quum aegrotus ad nonum vsque diem vixerit.

§. II.

Decursus morbi.

Morbus ipse et ejus decursus, vt melius cognosci et distingui queat, in *tria* diuiditur *stadia*.

Primum quidem id temporis spatium voco, quo aeger, post vim sibi illatam, bene caeterum valens, suis negotiis interest, per 5-7-9 dies.

Secundum incipit die plerumque septimo, ad summum nono; febricula tunc ingruit, ex sola pulsus celeritate cognoscenda; die sequenti pulsus celerior, nunquam vero plenus, vehemens aut fortis, tandem celerrimus euadit. Quam celeritatem neque venae sectio, neque remedia euacuantia minuunt. Inter pulsum et calorem nulla conspicitur ratio. Versus diem decimum, ad summum duodecimum, capitis dolorem aeger sentire incipit, et primo quidem in laesionis tantum loco, mox autem increfcens, dimidiam cranii partem occupat. Peculiarem habet dolor indolem, quippe quem in interiore capitis parte aegrotus sentit, nullaque externa compressio auget; tandem dolor fit tensius, chordae
instar

instar, per caput extensae. Oculi rubentes, subinflammati
 saepius apparent, vna cum languore et virium deiectione.
 Ac hoc quidem statu interdum 5-6 aut plures praetereunt
 dies, tempus enim certo definiri non potest. Ad summum
 nunc ascendit gradum inflammatio, breui tempore in suppu-
 rationem transiens.

Tertium morbus ingreditur stadium, suppurationis nempe,
 ubi aeger nullo fere modo seruari potest. Leues, at fre-
 quentes horripilationes, vti semper sub puris ortu adsunt,
 cum anxietate et inquietudine, eius praesentiam declarant.
 Aeger fit soporosus ex cerebri compressione, per pus facta.
 Sopor, lethale semper signum, magis magisque crescit, co-
 pia puris aucta, pulsu interim semper celeriori; affectus co-
 matosi, paralytici superueniunt, donec aegrotus succumbit,
 et mors agmen claudit.

§. III.

Cadauerum Sectio.

In cadauere post mortem secto sequentia apparent: dura
 mater, in primis vero pia, et arachnoidea pluribus locis
 rubrae,

rubrae, inflammatae, interdum tota superficie, exulceratae pureque obiectae reperiuntur. Pus autem plerumque longe lateque diffusum et toti cerebri superficiei quasi illitum est, nunquam in vnum locum omne collatum, sed inter tunicam arachnoideam et piam, inter hanc et duram matrem, interdum quoque inter duram matrem et cranium dispersum. Pia mater et arachnoidea saepissime tota evanuit, ac dissoluta est. Externa substantiae corticalis cerebri superficies, a pure arrosa, pultis instar apparet, vlcusculis et excrescentiis polyposis obfessa. Puris color albicans, viridis, subflauus; consistentia gelatinam aut pituitam tenacem referens. Qui phrenitidis ac paraphrenitidis causam cerebri eiusque membranarum inflammationem esse putant, his optime refutantur. Neque enim vnus idemque harum partium status in phreniticorum cadaueribus reperitur, neque vllum phrenitidis symptoma in tanta cerebri inflammatione, vt suppuratio sequatur, apparet. Vnum tantum attingam; phreniticorum nempe delirium constans, furiosum ac insidiosum, cum hi per longum adhuc tempus bene valent, et suppuratione orta, tum demum somnolenti, soporosi iacent, mente vix alienata.

§. IV.

Morbi caussae.

Morbi adeo atrocis caussas perscrutari, operae pretium omnino videtur, partim vt phaenomenorum haberi possit ratio, partim vt, quae vilo modo morbum dirissimum arceant, adhiberi queant. Plures occurrunt caussae, quas vero omnes sub tribus comprehendi posse puto:

I. Membranarum cerebri eiusque superficiei *contusio et commotio.*

II. durae matris a cranio violenta *separatio.*

III. *diploes contusio.*

In eodem temporis momento, quo vis externa cranio applicatur, figuram mutat ac impressionem quandam admittit cranium; id quod fieri nequit, sine vehementi durae et piaae matris ipsiusque corticalis cerebri substantiae *contusione*; et vi iterum cessante resilit. Causa, cur inflammatio et suppuratio tam late diffusae sint, cur infantes, quorum ossa mollia minus resistunt, huic morbo obnoxii non sint, exinde luculenter patet. Quae quidem harum partium contusio, vti sem-

per, sic etiam hic, vasorum atoniam gignit, liberam sanguinis per eas circulationem turbat, humorum accumulationem excitat, atque efficit, vt irritationem hinc ortam inflammationemque sequatur suppuratio. Cur morbus tam lento progrediatur gradu, neque statim ab ictu se conspiciendum praebeat, hac quidem ratione optime perspicui potest.

Commotio quoque vasa debilitat et omnia, quae atoniam comitari solent, producit. En ratio, cur maxime cranio illaeso, vi nempe nullo modo dispersa, haec oriatur inflammatio. Si hac ex causa ortum traxerit, secundum morbi stadium septimo incipit die.

Separatione durae matris a cranio vi externa facta, tollitur, quod intercedit inter cranium et cerebri membranas, commercium; inflammatio et suppuratio oriuntur, quamquam serius. Hanc unicam censet causam Cel. Anglorum chirurgus POTT a). Verum enim vero Ill. RICHTER, b) praeceptor summe colendus, eius Viri opinionem grauissimis refutauit argumentis.

Di-

a) Observations on the Nature and Consequences of those Injuries which the Head is liable from External Violence by Percivall POTT Lond. 1768. p. 28. seqq.

b) Observationum chirurgicarum Fasc. III. Gott. 1780. p. 89. seq.

Diploe si contunditur, liber humorum circuitus non potest, quin tollatur et in hac et paulatim in dura sese iam separante, tandem etiam in pia matre. Tum inflammatio et suppuratio feriori adhuc nascuntur tempore.

§. V.

Diagnosıs et prognosıs.

Morbi tam occulti diagnosin quod attinet, supra iam in decursu morbi describendo mentionem quidem eius feci, at tamen signa, ad accuratiorem morbi cognitionem necessaria, sub medela proluxius enarrabo.

Prognosis, quae pars medicinae nobilissima videtur, omnino lethalis erat, vsque dum merita Cel. Virorum DEASE et SCHMUCKER inclaruere. Hic primus fuit, qui vsum aquae frigidae externum commendaret, ille, largis venae sectionibus institutis, vitam aegrotis seruaret. Raro ante id tempus aegri mortem effugiebant, duplicem quidem ob causam: tum ob diagnoseos difficultatem, cum nullum morbi existat signum, nisi inflammatione iamiam exorta; tum ob auxiliorum defectum, diro huic morbo medentium.

Quodsi vnquam effatum HIPPOCRATIS, nulla capitis laesio contemnenda, valeat, profecto de hoc laesionum genere valet.

§. VI.

Morbi in stadio primo medela.

Diuerfa, quae morbus percurrit, stadia, diuersam quodammodo requirunt medelam. In primo tantum stadio, vbi nulla adhuc adest inflammatio, cura cum felici instituitur euentu. Omnis enim labor ac studium eo dirigi debent, vt morbus caueatur. Id quod vnice fieri potest largis c) venae sectionibus, in vtroque pede repetitis, quum primum pulsus fit celerior, et fomentationibus frigidissimis. At cum aeger, excepta hac leui externa contusione, (Brausche) bene valens, raro eiusmodi tractationem admittat, quamquam in vitae discrimine versatur, nullumque extet inflammationis futurae signum, sequentes vt obseruentur regulae, quam maxime necessarium est:

I.

c) PORT, l. c. p. 55. of all the remedies in the power of Art for inflammations of membranous parts, there is none equal to phlebotomy - - - it must be made use of immediately and freely.

I. In quocunque vehementiori capitis laesione instituat^{ur} venae sectio et frequentes ex aqua frigida fomentationes adhibeantur.

II. Omnes ac singulos, quibus infl^{ictus} est paululum grauior ictus, ad duodecimum usque diem bene ac diligenter observes, diaeta summe antiphlogistica imposita, omnique corporis et animi motu interdicto.

Haec forte prophylactica cura interdum superuacanea instituitur. Quum vero nemini noxa inferatur atque tot miseri ex praesenti morte eripiantur, nunquam non eo modo agendum est.

§. VII.

Morbi cura in secundo stadio.

In secundo morbi stadio luculenta apparent inflammationis symptomata. *Febricula*, quae nullo modo coerceri potest, et capitis in loco affecto dolor, inflammationem adesse docent. Febris vero bene distinguenda, et cauendum, ne aegrotus detrimenti quid capiat; triplicis enim generis esse potest: vel ex cerebri eiusque membranarum inflammatione; vel ex pri-

marum viarum fordibus biliosis; vel denique ex alia quadam causa specifica e. g. variolis, morbillis oritur febris. Quod vero febrem gastricam aut biliosam attinet, summa opus est cautione. Medicus quidem facile, at chirurgus admodum difficulter status diuersitatem distinguet. Sordes autem gastricae, in ventriculo haerentes, ac bilis deprauata, lubentissime capitis laesionibus accedentes, ex sequentibus praesertim signis cognoscuntur:

1. ex pulsu celerrimo, ad 120 ictus in minuto horae spatio, sine notabili caloris naturalis augmento.
2. lingua impura, fordibus oblecta, flauesciente.
3. sapore oris amaro, nauseoso.
4. vrina iumentosa, croceo colore tincta.
5. deiectionibus per aluum foetidissimis.

Quae ubi adsunt signa, aegrotus vomitoriis et purgantibus pristinam recuperabit sanitatem.

Quodsi vero febris ex cerebri eiusque membranarum inflammatione originem ducit, sequentia adesse solent criteria;

- I. dolor capitis, febrem concomitans, et quidem in loco laesionis pristinae.
- II. tensio in interiore cranii parte, quasi a chorda.
- III. oculi inflammati, obtutus ferox, et fixus.
- IV. pulsus celer, neque venae sectione neque euacuantibus minuendus.

Trepano, quod simul ac febris cum rigore apparet Cel. POTT *d*) vnicum appellat remedium, in hoc casu nunquam vterer. Quid quaeso auxilii ad auertendum imminens suppurationis periculum inde expectare poteris? Num haemorrhagia, integumentis incisis orta, aegrum seruare vis? at tunc trepano non opus est. Num a venae sectione topica, in cerebri sinibus instituta, aut ab incisionibus in dura matre factis, quae, vti omnes partes aponeuroticae, inflammata valde intumescit et extenditur, quandam capies utilitatem? Sed Cel. POTT id non agit; quod si etiam ageret, inutile esset; nam vno tantum loco tensio tollitur, pluribus aliis remanens; hic omnes durae matris partes idiopathice affectae sunt, ibi vero in vno tantum loco et in aliis per consensum afficitur.

Verum

Verum enim vero non solum nihil emolumenti aeger habebit, sed etiam haec res ei erit detrimento, quia nec trepanatio ipsa sine commotione et irritatione capitis magna, nec separatio partis cranii, quae corona trepani excinditur, a dura matre, sine vi institui potest, et aeris contactus durae matris inflammationem auget.

Plerumque aeger moritur. Interea non omnis spes abicienda est. Sequentibus forte remediis adhuc feruari potest; inter omnes primas tenet, venae sectione in pede instituta, aegroto tantam sanguinis copiam detrahere, quantam ferre potest. Quo facto, topicae sanguinis euacuationes, sectio arteriae temporalis, venarum iugularium, instituendae, tandem capitis integumenta cruciatim incidenda, ut sanguinis copia profluat. Postquam omnia frustra tentata sunt, ultimum videtur, venae sectio ex cerebri sinubus aut durae matris vasis, antequam vero trepanatio fieri debet. Vfus aquae frigidae externus satis diu iustoque modo continuatus, secundum remediorum genus sistit. Atonia enim vasorum nulla alia re citius et certius tollitur, hoc remedio quam maxime penetrante.

§. VIII.

Cura morbi in stadio tertio.

Tertium morbi stadium incipit, simul ac leues horripilationes febriculae accedunt, et symptomata cerebri compressi, affectus soporosi, paralytici, sese manifestant: tunc ex inflammatione oritur pus, suppuratione autem facta, certissima aegroti mors instat. Trepani ad pus euacuandum nullum esse locum et experientia Cel. Virorum DEASE *e)* atque SCHMUCKER *f)* luculenter satis apparet, et ratio nos docet. Sine omni fructu instituitur, quia pus non in vnā sub cranio partem colligitur, sed totam cerebri et meningum superficiem occupat materia potius gelatinosa, pituitosa, ex piaie matris et arachnoideae dissolutione orta. Dimidia cranii pars tollenda esset. Totam cerebri superficiem exulceratam quomodo tractes?

Vnicum itaque et tutissimum remedium in cura prophylactica quaerendum est.

e) Observations on the Wounds of the Head with a particular Enquiry into the parts principally affected in those, who die in consequence of such Injuries by *William Dease*. Lond. 1776. 8.

f) Chirurgische Wahrnehmungen T. I. p. 27-143. narrat historias 12 aegrorum, qui omnes omnino, trepanatione facta, moriebantur, et sub quorum cranio post mortem suppuratio reperiabatur.

THESES.

I.

*V*era ac unica phrenitidis ac paraphrenitidis causa, est bilis acris, virulenta in praecordiis.

II.

Omnes morbi epidemici e primis viis originem trahere, ideoque gastrici esse videntur.

III.

Erysipelas solis remediis euacuantibus curari potest et debet; itaque est morbus vere biliosus.

IV.

Rheumatismum inter et arthritidem maximum est discrimen.

V.

Neque tracheotomia in angina inflammatoria, neque paracenthesis in hydrope ascite diu differenda est.

VI.

VI.

Opium in curandis febribus intermittentibus virtutes nos docent, eas ad morborum spasticorum genus esse referendas.

VII.

Apoplexia saepissime initium febris intermittens est, cuius stadium caloris non apparet, quia aeger sub frigore moritur.

VIII.

Phthisis exulcerata, variolas secuta, non ex metastasi, sed ex infectione per pulmones facta, oriri videtur.

IV.

Opū in curandis febribus intermittētibz cōstitutes nos
docent, eas ad morborum spūficorum genus esse re-
ferendas.

VII.

Apoplexia facillime intermittenz est, cuius
stadium caloris non apparet, quia hebet sub frigore
moritur.

VIII.

Epistix exacerata, comolaz scilicet, non ex metastasi, sed
infectione per pulmones facia, quā cōstituit.